



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv. Libri Qvinque

Pallavicino, Sforza

Romæ, 1649

Cap. 2. De essentia Iustitiæ Com[m]utatiuæ, & de multiplici iure, hoc est proprietatis, & iurisdictionis, ite[m] primæuo, & orto ex alio iure. De rerum diuisione; & de modis acquirendi ius: & de ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-39069

CAPVT II.

De essentia Iustitiæ Commutati-
ue, & de multiplici iure, hoc
est proprietatis, & iurisdictionis,
item primo, & or-
to ex alio iure. De rerum
diuisione; & de modis acqui-
rendi ius: & de definitione
iustitiæ, explicando singulas e-
ius particulas.

12. **I**ustitia commutativa
definitur ab Vlpiano:
constans, & perpetua voluntas
ius suum unicuique tribuendi. Pro
intelligentia huius definitionis
quæritur quid sit *ius*. Dicunt
Aristot. & S. Thomas *ius* esse
æqualitatē. *Iustum* enim græcè
dicitur δίκαιο à δίκη, quod si-
gnifi-

De Iustitia, &c. Cap. I. 17

gnificat *bisariam*, vt notat Aristoteles; & duæ res cum redactæ sunt ad æqualitatem, dicuntur esse *iustate*, vt animaduertit S. Thomas. Sed adhuc explicandum est quænam sit illa æqualitas quam intendit iustitia. Neque enim vult vt omnes habeant diuitias æquales.

13 Nec sufficienter respondetur dicendo, iustitiam velle æqualitatem inter datum seu factum, & debitum. Cum enim possit aliquid alteri deberi ex charitate, ex gratitudine, pietate &c. & iustitia non intendat æqualitatem cum istis debitis, explicandum est, quid sit debitum ex iustitia, pro vt differt à debitis aliarum virtutum. Dixerunt aliqui, ius, seu debitum iustitiæ esse præferibilibita-

lita-

litatem, quam habet quis supra
alios respectu cuiuspiam rei v-
furpandæ in propriam vtilita-
tem ex aliqua peculiari conne-
xione physica quam habet cū
illa. Qui enim venatus est fe-
ram, qui ædificauit domum,
qui coepit hostem in bello, ha-
bet physicam connexionem
cum rebus istis, propter quam
in earum rerum vsu est coeteris
præferendus. Dum verò aliquid
ex his donamus vel vendimus,
volumus vt donatarius, ac em-
ptor præferantur in vsu rei do-
natæ, vel veditæ sicut nos præ-
ferebamur propter physicam
connexionem. Notant tamen
Auctores huius sententiæ con-
nexionem quæ sufficit ad ac-
quirendum dominium vnus
rei, non semper sufficere ad ac-
qui-

quirēdum dominium alterius; licet enim ex. g. faciens scamnū euadat dominus scamni; non tamen producens filium euadit dominus filij; quia scamnū est res quæ ordinatur à natura ad felicitatem alterius, filius verò ad propriam.

14 Hæc tamen explicatio iuris, quamuis ingeniosa, videtur deficere in pluribus. Primo, quia non explicat *ius* per prædicata intrinseca iuris, sed per causam ipsius, quæ est connexio physica. Sicuti esset vera quidem & non inutilis, sed tamen imperfecta definitio iræ: *est affectus proueniens ex accensione sanguinis circa cor*; non enim explicaret prædicata intrinseca iræ, sed peculiarem causam.

20 *Liber Quartus*
extrinsecam eiusdem .

15 Secundò, quia falsum est vniuersaliter loquendo, *ius* esse præferibilitatem in vfu rei usurpandę in propriam vtilitatem. Superior enim regularis ius habet gubernandi subditos, ita vt patiatur iniuriam si impediatur à gubernatione; & tamen non potest gubernationem in propriam vtilitatē conuertere. Tertiò quia non omnis præferibilitas orta ex connexionione phvsica est *ius*. Nam ex.g. Pater ius habet personale aduersùs filium vt hic sibi præstet alimēta in casu necessitatis, idq. cōnexionione fundatā in persona filij; debentur etiam Patri à filio alia bona ex pietate, debito fundato in eadem cōnexionione phvsica; & tamen hoc
secun-

secundum debitum non est ius,
& primū est ius. Demum illa
connexio physica non sufficit
ad acquirendum ius nisi fiat
ex animo acquirendi ius; si e-
nim aliquis apprehendat gem-
mam in littore maris sine tali
animo, non euadet dominus
illius, & tamen habebit conne-
xionem physicam cum gem-
ma: ergo in prædicta doctrina
debet dici quod *ius sit præferi-
bilitas propter connexionem phy-
sicam ex animo acquirendi ius,*
atque adeò explicatur *ius per
ius, & committitur circulus.*

16 Vt ergo explicemus,
quid sit *ius* illud quod est pro-
prium iustitiæ, animaduerten-
dum est, *ius* vniuersim, pro vt
comprehendit ius iustitiæ, & o-
bedientiæ esse potestatem obli-
gandi

gandi alterum ad aliquam actionem, vel omissionem per voluntatem ipsius habentis ius. Voluntas porro obligatoria potest esse duplex; alia volens, oppositum alicuius actionis, & omissionis esse illicitum ex motiuo sui placiti; & hæc obligat ex iustitia: alia volens, id esse illicitum ex motiuo boni resultantis obligato, aut illi communitati cuius obligatus est pars, & hæc est obligatoria ex obedientia; potestas obligandi primo modo, est *dominiū*, seu *ius iustitiæ*. Potestas obligandi secundo modo est *iurisdictio*, seu *ius obedientiæ*: vtraque potestas primò inuenitur in Deo; nam propter suam omnipotentiam, & dignitatem meretur vt beneplacitum ipsius præ-

præferatur beneplacito, & bono cuiuscumq; creaturæ; & propter suam sapientiam, & bonitatem meretur, vt quidquid ipsi displicet propter nostram utilitatem, id tanquam noxium repudietur à nobis.

17 Si tamen voluntas habentis pro motiuo bonum obligati æquiualeat voluntati habenti pro motiuo placitum obligantis, obligabit ex iustitia; hæc autem æquiualentia consistit in eo, quod Dominus, licet velit obligare subditum in bonum ipsius subditi, velit tamen illum obligare eo genere obligationis quo obligaret si haberet pro motiuo proprium placitum, & nihil aliud declararet circa speciem obligationis. Similiter voluntas habens pro motiuo

motiuo bonū obligantis, obligabit ex obedientia, si habeat æquiualentiam per quam superior velit obligare subditum eo genere obligationis, quo obligaret, si intenderet bonum ipsius subditi (quod bonū verè contineatur tunc in prædicta obligatione) absque alia explanatione circa speciem obligationis.

18 Per respectum ad ius iustitiæ hætenus explicatum potest aliqua actio esse iusta dupliciter; negatiuè scilicet & positiuè. Actio iusta negatiuè est illa, quæ non est contra ius alterius, seu quæ non est illicita tanquam repugnans voluntati alterius intendenti formaliter, vel æquiualenter proprium bonum, vel placitum. Hoc pacto
actio,

actio, qua aliquis comedit cibum suum, est iusta negatiuè; Actio iusta positiuè est illa, quæ ideò est licita (nisi aliunde in honestetur) quia conformatur cum voluntate alterius, intendentis formaliter, vel æquiuallenter suum bonum, vel placitum; ità solutio debiti est actio positiuè iusta: Sicut verò datur *iustum positiuum*, & *negatiuum*, sic datur *ius positiuum*: & *negatiuum*: ius negatiuum est potestas faciendi actionem, vel omissionem non ideò illicitam (diximus *non ideo illicitam*, ne excludamus omne *illicitum* etiam proueniens ex oppositione cum aliqua alia virtute; quomodo esset illicitum comedere intemperanter proprios cibos &c.) quòd non conformetur

B tur

tur cum voluntate alterius potentis illā reddere illicitam ex solo motiuo sui placiti. Ita habet aliquis ius negatiuum ambulandi. Ius positium est potestas reddendi alteri illicitam aliquam actionem ex solo motiuo sui placiti: Itā creditor habet ius positium ad solutionē debiti, quia potest debitori reddere illicitā omissionem actionis solutoriae ex solo motiuo sui placiti. Hoc ius positium est obiectum iustitiæ, cum quo iure vult illa ponere æqualitatem.

19 Ius porrò positium primò est in Deo respectu omnium creaturarum, & à Deo communicatum est creaturis rationalibus. In hominibus aliud ius est primæuum, & nō
suppo-

supponens ius in alio homine ;
aliud non primeuum, & suppo-
nens ius in alio homine ; Se-
cundi generis sunt omnia iura,
quæ per donationem, emptio-
nem, & quodcunque aliud pa-
ctum comparantur : Cũ enim
non possit quis donare, vende-
re, vel per quemcunque con-
tractum transferre dominium
rei non suæ, supponitur ante-
cedenter ad talia iura aliud ius,
in donante, & vendente . Res,
quarum ius, & dominium ha-
bemus, sunt duplicis generis,
quædã enim determinato sin-
gularis personæ dominio addi-
xit Natura, vt illi essent instru-
menta felicitatis acquirendæ,
cuiusmodi sunt potentiæ, mē-
bra cuique intrinseca, e.g. ma-
nus, oculi : hæc verò primo &

principalissimè *nostra* sunt, cū sint pars nostri: & sunt maximè *propria*, hoc est maximè *propè* nos, vt potè intrinsecè *vnita*. Alia sunt quæ nullius determinato dominio addixit Natura; cuiusmodi sunt exteriora bona. His soli homines indigent, non Angeli, vt potè qui per sua intrinseca sine vllis externis adminiculis sufficientes sunt ad viuendum, & ad felicitatem consequendam cum gratia Dei.

20 Hæc ipsa bona externa sunt in duplici classe; prima classis est eorum bonorum, quæ vt inseruiāt humanæ foelicitati non debent addici vni potius homini, quàm alteri, vt aër, &c. secunda classis est eorum, quæ non possunt ad felicitatem inser-

seruire nisi alicui nominatim
addicantur, aut paucis, vt ci-
bus; vestis, domus, &c. Hæc po-
steriora voluit natura diuidi in-
ter homines. Diuisio tamen,
quæ facta est ideò dicitur esse
de iure gentium, non de iure
naturæ, quia ex consensu gen-
tium est executioni mandata
vno potiùs; quàm alio modo,
Modi quibus natura voluit fie-
ri hanc diuisionem, & acquiri
primò rerum dominia, dicun-
tur à iuristis *de iure gentium*,
quia *ius naturæ* plerumque
vocatur ab illis tantū id quod
versatur circa actiones quæ ab
alijs etiam animalibus fiunt ex
inclinatione naturæ. Cuiusmo-
di sunt, prole suscipere, & nu-
trire; ius verò, quod versatur
circa actiones peculiare gen-

tis humanæ (præsertim si non supponant Cōstitutionem, Reipublicæ, sed conueniant hominibus etiam antecedentèr ad subiectionem cuiuscumque Principi, vel Magistratui cuiusmodi est rerum diuisio) licet fiant ditante natura, vocatur *ius gentium primarium*.

21 Modi per quos primò dominium rerum acquiritur, sunt illi, per quos aliquid ponitur in humano commercio, vel redditur aptum ad vsus humanos, cùm antea non esset. Fuit enim id rationabile præmiū à natura cōstitutū, quo vnusquisque alliceretur ad ditandū genus humanū ex illicio ditandi se ipsum. Reducuntur isti modi ad venationē, inuentionem, & effectiōnem. Feræ, e.g. acquirun-

runtur per venationem, gem-
mæ per inuentionem, domus
per effectiõnem. Cùm istæ res
rursus egrediuntur ex humano
commercio, amittuntur: ideò
dominium eorum animalium,
quorum natura fera est, perdi-
tur eò ipso quod redeant in
naturalem libertatem; & qui-
cumque ea rursus capit, quia
rursus illa reponit in commer-
cio humano, euadit dominus
ipsorum. Animalia cõtrà mā-
fucta nō amittuntur à domino,
si egrediantur è custodia; nec
acquiruntur ab eo qui illa rur-
sus capit, quia cum non sint
apta viuere extra commerciū
humanum, proinde nec per fu-
gam egrediūtur è commercio,
nec per captionem ponuntur
in commercio.

22 Ex hac eadem doctrina redditur ratio à priori, cur ex debitis incertis quæ quis contraxit ex delicto; e.g. ex usura, vel furto; postquam nulla spes est inueniendi dominum, vel creditorem, teneatur debitor facere eleemosynam: ratio est, quia nec sunt sicut bona derelicta, quæ ex intentione prioris domini censentur fieri occupatis; cum creditor in his sibi ex alieno delicto debitis, nunquam habuerit talem intentionem; nec eadem sunt in humano commercio beneficio debitoris, sed potius propter eius delictum extracta sunt à commercio, & dominum amiserunt. Sunt proinde in dominio reipub. quæ vult, ea in pauperes distribui tanquam in cæteris egentiores: voluit

Voluit tamē committere corū electionem arbitrio debitoris, vt ipsum magis ad restitutionem alliciat: quod si debitor pauper sit, potest ea applicare sibi ipsi.

23 Explicato *Iure*, facile est iustitiam exactè definire per genus, & differentiam. Est ergo iustitia *virtus moralis ad alterum, habens pro mensura voluntatem alterius, potētis, ex solo motiuo sui placiti reddere inhonestam actionem oppositam*: singulas definitionis voces explicabimus. *Virtus*, est *dispositio perfecti ad optimum*: debet esse distincta ab eo, cuius est virtus, vt potè ipsius dispositio: debet aliquo modo inclinare ad agendum; cū optimum naturæ sit agere. & operari: debet non

B s esse

esse optimum, cum sit dispositio ad illud: Ideo fœlicitas, quæ est optimum, non est virtus, sed aliquid maius virtute; vt ait Arist. ideò etiam in Deo nō est virtus propriè, cum Deus sit ipsum optimum, & non disponatur ad id per vllam distinctam dispositionem: est tamen in Deo virtus analogicè, & seclusis imperfectionibus. Potentia etiam peccandi, quæ talis, non est virtus, quia quæ, talis non disponit ad optimum, licet possit vocari virtus quatenus illa eadem nunquam præscindit in suo conceptu ab hoc quod est esse potētiam benè agendi; posse enim peccare est posse liberè deficere ab eo bono, ad quod tenemur; a deoque quod possumus amplecti. Et sic potentia peccandi

di

di non solū realiter, sed ne formaliter quidem distinguitur à potentia bene operandi. Castitas coniuugalis est virtus, non quatenus excludit celibatum, quod est melius matrimonio, sed quatenus excludit omnem copulā extta coniugium, quæ exclusio est pars optimi possibilis, adeòque disponit ad optimum, vel ad eius partem.

24. *Virtus moralis* est dispositio ad actus morales bonos. *Actus moralis* in genere, est actus, qui fit cū libertate, & deliberatione. Diuiditur in bonum, malū, & indifferentē, (si tamen potest dari actus moralis indifferentēs.) Bonus est, qui cōfirmatur liberè cū voluntate diuina, quæ est prima regula boni: Malus est, qui liberè discrepat ab eadē

prima regula: Indifferens, qui ei neque est positivè conformis, neque est positivè difformis. Voluntas Dei præcipiens in bonum nostrum, obligat ex obedientia; præcipiens ex solo motivo sui placiti, obligat ex iustitia. Eadem voluntas, dū præcipit ea, quæ determinatè præcipi natura exigit; e.g. abstinere à copula extra coniugium, condit legem naturalem, per quam legem præcipiuntur omnia, quæ toti reipub, indiuiduorum rationalium existentium, & possibilium expedit præcipi, & prohibentur omnia, quæ expedit prohiberi. Dum verò præcipit ea, quæ non exiguntur determinatè à natura, condit legem positivam. Deus dum obligat ex Iustitia (si vnquam

id

id contingit) obligat etiam ex obedientia ; cum enim vt legislator ponat omnem legem, quam expedit poni, & cum expediat poni legem obligantem ex obedientia ad faciendū id, ad quod tenemur ex iustitia, istam legem ponit de facto.

25 *Virtutes ad alterum non differunt à virtutibus ad se per hoc quod illæ vtcumq. ordinentur ad bonum alterius: Omnes enim virtutes, etiā ad se, aliquo modo ordinantur ad bonū alterius, cum habeant pro obiecto honestum; honestum autem sit, quod omnibus agētibus rationalibus expedit esse honestum. vt explicatū est in libro de actibus humanis. Ideò etiam fortitudo, & temperantia, licet non sint*

sint

fint virtutes ad alterum, mensurantur ex bono communi: Prohibet enim temperantia fornicationem ne proles sit incerta; auerfatur exquisitas voluptates gustus, & tactus, quia cū appetitus acerrimè feratur in illas, & cū quædā tales sint, vt si possideantur ab vno, coeteri impediātur ab huiusmodi delectationibus, debuit esse honestum ab ijs abstinere, ne iurgia, & contentiones nascerentur. Ideò illæ delectationes quæ etiam si ab vno possideantur, possunt ab alijs possideri; cuiusmodi sunt fricationes in palæstris, sedatio sitis per aquam, & similes non sunt contra temperantiam; nisi in quantum obsūt sanitati, vel causant alia mala, aut bona impediūt.

Idem

Idem valet proportionaliter in fortitudine, alijsque virtutibus ad se. Differentia ergo virtutum ad alterum à virtutibus ad se, consistit in eo, quod primæ per suã executionem respiciant immediatè aliquod bonum, vel gaudium inde resultans alteri, posteriores verò non respiciant alienam utilitatem secundum actuale exercitum. Ità in honestum est fornicari, etiam in casu, in quo nulli noceat, & profit, proli alioquin non nascituræ. Adhuc enim, noceret, talè fornicationem esse licitam; cū, si homines possent licitè extraconiungium habere voluptatē copulæ, nollent inire matrimoniū vt pote quod affert maxima onera. At vsus virtutū ad alterū habet hoc peculiare vt sēper

per

per afferat alteri vtilitatem, vel gaudium, vt patet in exercitio iustitiæ, fidelitatis, charitatis, &c.

26 Inter virtutes tamen ad alterum sola iustitia habet *pro mensura voluntatem alterius* Cuius ratio à priori desumitur ex definitione iuris positiui, quod est obiectum iustitiæ. Nā ius illud nihil aliud est quam quædam extensio dominiij moralis, vltra dominium physicū. Ità Deus non habet in potestate physica, quod ego in his circumstantijs, cum tanta gratia, & non maiori, nō peccem, habet tamē hoc ipsum in potestate morali, cū ad id me obliget. Dominus similiter non habet in potestate physica quòd feruus potens egredi domo cōtra eius

cius imperium, domo nō egrediatur; habet id tamen in morali. Cum ergo ius positivum consistat in explicata extensione dominiij moralijs ultra fines propriij dominiij phisici, non potest habere aliam mensurā, quā voluntatem illius qui tali iure potitur; essentia quippe dominiij sita est in eo ut actio fiat secundum voluntatem domini. Aliæ virtutes ad alterū distinctæ ab obedientia (de cuius discrimine à iustitia dictum est) non habent pro mensura voluntatem alterius, sed intendunt aliquid, quod illi sit bonū independenter ab eius voluntate. Vnde potest aliquis teneri ex charitate ad faciendum bonum etiam nolenti; ex iustitia non potest teneri ad faci

ci

ciendum bonum , nisi vo-
lenti .

C A P V T III.

*De violatione Iustitiae, hoc est de
Iniuriis; quomodo inferatur in
fanti, impuberi, consentienti, nō-
dum natis: & de voluntate
formali vel virtuali requisito
tum in ordine ad iustitiam,
cum ad obedientiam.*

27 **A** Diniuriam non re-
quiritur vt Domi-
nus sit positivè inuitus, sed satis
est si absque cōsensu ipsius fiat
aliqua actio cuius dominium
morale est apud ipsum . Sicut
enim actio nō potest fieri phy-
sicè sine influxu illius in cuius
potestate physica est, ità non
potest